

ducebant, nos fallendi fecimus occasionem. Nam quia nobis nisi iurantibus non creditur, quos aliter non valemus iuramento decipimus, nosmet ipsos vero sempiternae perditioni<sup>a)</sup> addicimus, ut illo testimonio comprobatur<sup>1)</sup>: *Ero testis velox maleficis et adulteris et periuris*. Testis ille etiam iudex est, qui culpam reducet ad conscientiam et reo veritatis evidentia convicto inferet sine dilatione vindictam. Illi detestabantur inmunditiam, nos etiam adulteriis gloriamur. Ita cum superiore sententia illam quoque parvi pendimus<sup>2)</sup>: *Fornicatores et adulteros iudicabit Deus*. Hisque in perniciem nostram foederamur, qui letantur, cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis. Illi homicidia execrabantur, nos honoramus, spernentes illud<sup>3)</sup>: *Qui acceperit gladium, gladio peribit*. Quo manifestatur homicidii crimine teneri illum, qui praeter<sup>b)</sup> auctoritatem legitimae potestatis quemquam vita privaverit. Illi latrocinia insectabantur, nos ea in pauperibus et inbecilibus punimus, in divitibus et male fortibus insigni amentia extollimus. Nam nonnulli talium etiam magistratum invadunt, et tamen huiusmodi a regno Dei excludendos apostolica doctrina declarat.<sup>4)</sup> Illi longa pace fruebantur, nos diuturna discordia laboramus. Proinde illis aptari poterat<sup>5)</sup>: *Qui ineunt pacis consilia, sequitur eos gaudium*. Nobis e contrario<sup>6)</sup>: *Inter superbos semper iurgia sunt*, et<sup>7)</sup>: *Non est pax, dixit Deus meus, impiis*. Ergo illos Deus vel per homines aperto tuebatur praesidio vel occulte suo solum auxilio protegebat. Nos autem tot et tanta mala opprimunt, ut simus stolidissimi, nisi credamus et dicamus<sup>8)</sup>: *Quia non<sup>c)</sup> est Deus nobiscum*, idcirco *invenerunt nos haec mala*.

Piratae, id est praedones maritimi, maximam partem Christianorum crudelissime trucidaverunt et trucidant inpune. Urbes nobi-

a) Die Handschrift hat 'perditione'.

b) 'propter' ebenda. c) 'non est' übergeschrieben.

1) Malach. 3, 5. Zu den vorhergehenden Worten vgl. Lupus, De tribus quaestionibus (Opera, ed. Baluzius<sup>2</sup> S. 221): 'Facile illo satis idoneo testimonio comprobatur.'

2) Hebr. 13, 4. 3) Matth. 26, 52.

4) Ähnlich die Admonitio (s. S. 6 Anm. 2) S. 88, 35: 'Praedas et rapinas conversationi christianae nimis contrarias et a regno Dei miserrimos excludentes paenitus deponamus'. Vgl I. Cor. 6, 8—10.

5) Proverb. 12, 20. 6) Ebd. 13, 10. 7) Iesaias 48, 22.

8) Deut. 31, 17.